Município de Torres Vedras

N.º 3

ANO DE 20

1316

PROCESSO REFERENTE A

Paróquia de São Pedro - Apelação proposta em Roma por parte do prior e beneficiados acerca da divisão dos territórios das Paróquias

ANOTAÇÕES

In nomine domini amen. Anno eiusdem a Nativitate Millesimo Trecentesi
mo Sextodecimo, Indictione Quartadecima, Die vicesimasexta Mensis
Decembris, apostolica sede per obitum felicis recordationis domini Clementis
pape v. pastore vacante. Constitutus in domo fratrum predicatorum
Avinionensium ubi interdum due partes vel circa et interdum medietas
vel circa Reverendorum patrum dominorum Cardinalium sancte Romane ecclesie
post eorum exitum de Conclavi Carpentoratensi convenire consueverunt
ad consistorium faciendum pro habendis tractatibus super electione fu
turi Summi pontificis celebranda: venerabilis vir dominus Alfonsus
Petri Rector ecclesie sancti Petri de Turribus veteribus Ulixbonensis diocesis
in presentia mei Notarii et testium subscriptorum dixit proposuit et pro
testatus fuit quod cum ipse nomine suo ac nomine portionariorum et
prechianorum dicte ecclesie sue et aliorum quorumcumque sibi in hac parte
adherentium vel volentium adherere, a venerabili patre domino fratre Stephano
Episcopo Ulixbonensi et etiam ab eius Capitulo, ac ab ipsorum vel alterius
eorumdem diversis et variis gravaminibus super limitatione seu po
tius destructione et mutatione antiquorum et constitutione novorum limi
tum et confinium dicte ecclesie sancti Petri attemptatis, et super spoliatione
portionum, et assignatione fructuum dicte ecclesie per ipsum Episcopum aliis
ut dicitur facta, et occasione omnium predictorum illatis ipsi domino Al
fonso ut dicebat et in eius et ecclesie sue prefate ac eidem por
tionariorum et prechianorum predictorum preiudicium non modicum et gravamen
ad sedem apostolicam diversis temporibus et etiam pluries appellasset:
volebat et propter hoc specialiter in Romana Curia moram trahebat
ac se omnino exinde promptum et paratum obtulit dictas appel
lationes sic ad sedem predictam interpositas et ipsarum qualibet et earum
et cuiusque ipsarum causam seu causas et etiam quascumque alias appella
tiones quas propter hoc imposterum fieri et interponi contingeret in Ro
mana Curia suis propriis sumptibus et expensis tam pro se ipso quam pro dictis
portionariis et prechianis ac pro omnibus aliis et singulis qui eisdem
appellationibus vel alicui ipsarum adheserunt vel imposterum adherebunt pro
sequi et tractare et usque ad finem debitum continuando eas
perducere tam contra Episcopum et Capitulum supradictos et quemlibet eorumdem
quam contra omnes alios et singulos quorum interest vel poterit interesse.
Protestatus fuit insuper idem dominus Alfonsus quod sibi propter instantem
et notoriam vacationem Romane ecclesie non currant tempora prose
quendi appellationes predictas et earum et cuiusque ipsarum causam sive
causas et quod nullum sibi in prosecutione appellationum ipsarum preiudicium
generetur. Cum pro eum non stet quominus appellationes easdem et earum
seu eas ipsas cum effectu debito prosequatur. Offerens nichilominus
se paratum dictas appellationes et earum vel eas causas et cuiuslibet earum
prosequi cum effectu competenti cum dicta poterit et ecclesie Romane fuerit de
pastore provisum ac Curia fuerit reformata et earum et litterarum audientia
reassumpta. Premissa autem omnia et singula voluit idem dominus Al
fonsus intimari et notificari omnibus et singulis quorum interest
vel poterit interesse per presens publicum instrumentum quod rogavit fieri
per me Notarium infrascriptum. Actum Avinione in loco predicto. Presen
tibus Nobili viro domino Alberto de Alliate Mediolanensis diocesis Comite
Palatino, et Ambrosio Thomasii de Aquamundula clerico Gaietanensis diocesis
Notario publico ac Martino Johannis clerico Ulixbonensis diocesis testibus ad
premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et Ego Guillelmus quondam Bartholini de Co
gressis de Parma clericus publicus apostolica et imperiali
auctoritate Notarius predictis omnibus una cum suprascriptis testibus
presens fui et ea omnia scripsi et publicavi meoque so
lito signo signavi rogatus.

88
apelação feita ẽ
Roma por parte do bi
e beneficiados acer
ca da divisão das le
vitorias das parro
chias.
anno 1316.